

per totum annum. Codicem pulcherrimum in Italia scriptum cum e penicilli gratia, tum e *Calendario* colligo, ubi mensis *Madius* pro *Majo*. At quando? In Litanis OO. SS. fol. 93. p. 2. oratur pro *Papa Benedicto*, quo nomine toto illo temporis spatio nemo fuit, nisi *Petrus de Luna* Antipapa; is vero jam a. 1424. diem obiit, et sive *Scripturae*, sive *Picturae* indoles *Seculum* provectius loquitur. Itaque censeo, *Librarium* plus manu, quam iudicio valentem e vetustiore Codice omnia *κατα λέξιν* descripsisse.

DCCCLXXXIII.

R. 44 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. nunc 526. 4. min. per duas columnas nitidissime exaratus, auroque et coloribus speciosus sacrum Chori Officium, vulgo *Breviarium*, continet, et quidem in usum *Familiae Benedictinae*, nam fol. 376. legas: *In festo sanctissimi patris nostri benedicti*. item fol. 342. in Litanis OO. SS. *Sancte pater benedicti*, et in iisdem fol. 343. oratur pro *Praesidente*, videlicet *Congregationis* alicujus, et fol. 236. p. 2. memorantur *Festa particularia monasteriorum nostrae congregationis*, et cum ibi, tum in *Calendario* praevio *Festum S. Justinae* minio scribitur, ut adeo *Congregationem Patavinam* tenere videamur, concludique possit, Codicem istum cum aliis e *Neapolitano S. Severini* Coenobio ad nos delatum fuisse. Quod si vel ipsum Coenobium nosse cupi-

as, pro quo scriptus fuit, *S. Inuentius* s. *Juventius* ad diem 8. *Febr.* et *Translatio S. Syri* ad 17. *Maji Papiam* te deducunt. Continet ille primum *Officium de Tempore*, dein *de Sanctis* speciatim et in communi, demum pro fidelibus *Defunctis*. Verum ante fol. 246. et 346. *Folia* quaedam excidere.

DCCCLXXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2159 XV. Folior. 170. f. max. caractere praegrandi eleganter exaratus, coloribus distinctus, pluribusque Iconismis et marginum ornamentis auro fulgidis et scite picturatis speciosus *Psalmodiam Chori* a *Paschate* ad *Adventum* primum de *Tempore*, dein de *Sanctis* *Notis* musicis illigatam exhibet, et quidem in usum *Carthusianorum*; fol. enim 43. p. 2. *Servator* ipse *Fratri* hujus ordinis *sacram Hostiam* porrigit, et fol. 123. p. 2. *Frater* ejusmodi ad aras facienti *Sacerdoti* ministrat. Itaque Codicem *Carthusiae S. Trinitatis ad Brunnam Morav.* fuisse censeo. *Memorari* merentur et aliae quaedam *Picturae*. Ita fol. 1. p. 2. *Anastasi* *Dominicae* adduntur in margine *Piscis Jonam* reddens, *Samson* *leonem* jugulans, et *Mel* e *faucibus leonis* progressum. Ad *Iconem* fol. 43. p. 2. supra adductam dormit in lemnisco *Elias* obvolitante ei pane *subcinericio*. Fol. 58. p. 2. scire velim, quid portendat *Imperator Caroli M.* habitu d. *sceptrum*, s. *pomum Imperii*

2129

L I T U R G I C I.

2130

perii five globum terraqueum gestans, cui sedenti adstat armatorum manipulus duce vexillum, in quo cancer aut scorpio, et clypeum viridem, in quo rota rubea, praeferente. Juvenem inermem, pileolo viridi deposito, medium tenent, eumque sedenti sistere videntur. In ora supra Papilio Polychloros *Lin.* scite expictus est. *Fol. 67.* ad textum: *Nudus egressus sum &c. Job* in sterquilinio visitur. *Fol. 70.* *Tobiae* senioris caeci *πρωτομν*, tum junior cum *Gabriele* paciscens, demum pia Mater dolentis adfectu, addito lemmate: *Utinam pecunia non fuisset, pro qua misimus!* pulcre exprimuntur. *Fol. 109.* p. 2. ad Iconem, qua *Christus* in crucem tollitur, per margines florulentos disposita sunt sequentia: Hebraei in serpentem aeneum sublime elatum intuentes, *Maria* cum flentibus mulieribus, quas *Judaeus* e litera initiali velut prorumpens fanna irridet, *Christus* crucem bajulans, idem in monte *Olivet*i orans, Discipuli eminus dormitantes, et *Judas* burfifer agmen in hortem inducens. *Fol. 116.* p. 2. Triumphus *Michaelis*, cujus in clypeo caput *Medusae*, Angelis in ora supra Paeana concinentibus, in infera malis Geniis euntibus in praecipis. *Fol. 126.* p. 2. Agmen infestum praemisissis sagittariis virgineo *Ursulae* Coetui imminet. Huic Picturae non admovit ultimam manum Artifex, uti et deinceps. Ita *fol. 132.* p. 2. et *fol. 34.* p. 2. praeter partes jam deauratas sola linearis adumbratio habetur, *fol.*

142. p. 2. variorum Martyrum supplicia partim delineata, partim penicillo adfecta, partim finita sunt; unde, quam rationem tenuerint in suis laboribus Pictores illi, discat artis curiosus. Sequuntur tamen et Icones aliae absolutissimae.

DCCCLXXXV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2158 XV. Folior. 229. f. max. ejusdem cultus, nisi, quod Iconum loco ad Festa Domini praecipua literis Initiorum adfabre picturatis et deauratis gaudeat, eadem Psalmodia Chori est, atque ut de antiquis Possessoribus nullum sit dubium, tam praevio, quam postremo folio manu Sec. XV. adscriptum est: *Iste liber est Domus sancte Trinitatis in konigsfelt*, puta ad *Brunnam Moraviae*, quae cum aliis Carthusiis Ditionis *Austr.* nunc diem suum obiit.

DCCCLXXXVI.

Codex membraneus lat. paullo R. 176 junior, ut ratio Picturae suadet, Folior. 205. f. maj. eadem continet, et ad eandem Familiam pertinuit, ut argumento est Frontis Icon *Carthusianum* elevatis manibus, flexisque genibus precantem exhibens. Id quod probe convenit primo Versui: *Ad te levavi animam meam &c.*

DCCCLXXXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. R. 82 XV. Folior. 299. 4. corrente calamo